THESES PHILOSOPHICAE,

Quas Auspice & Propitio

D. O. M.

Adolescentes Magisterii candidati,

IN ACADEMIA MARESCHALLANA,

Die 10 Iulii, Anno 1634.

In publico Clarissimorum Philosophorum Consessu propugnabunt, Ad aurora ad meridiem.

Praeside Ioanne Setono.

Quum fieri, ut ea veritatem quaerens, omnibus sit innatum, fidem habere, adiunxit, qui sine ullo judicio inventa majorum probant, & ab aliis percudum more docentur. Sed hoc eos fallit, quod majorum nomine polleo, non putant fieri posse, ut aut ipsi plus sapiant quia minores vocantur, aut illi desipuerint, quia majores nominantur. Lactantius, Lib. 3. c. 1.

Excudebat Edwardus Rabanus, 1634.

Nobiliſsimo Adoleſcenti, pietate, virtute, & eruditione Clariſsimo, Domino GVLIELMO KETHO, Illuſtriſsimi Comitis MARESCHALLI, KETHIÆ Familiæ Principis, D. de KETH, ALTRÆ, &c. Filio natu Maximo, unicis noſtrarum Muſarum deliciis, Mæcenati noſtro rei Munificentiſsimo & Maximo,

S.

I Bello parta Marti dicuntur (Mæcenas Munificentiſsime) Marti quæſita Neptuno. Cereri Meſſis, & Mercurio lucra libantur: ſi rerum omnium quædam ad cultum referuntur auctorem, cui ſua omnia conſecrare noſtris Muſis fas eſſe nisi illuſtri Tuæ Nobilitati, Muſarum noſtrarum, quas omnium virtutum laude conſpicui, ſummiſque honoribus functi, Tui genuere Parentes, nutrici unicæ, fedula blanda, Veſtra Nobilitas, inclytam hic in celeberrimæ, antiquiſſimæ, multiſque nominibus felicissimæ civitate ABREDONIA; ACADEMIAM, Amplissimis ditatam redditibus & omnigenis inſtitutis, ad perennem KETHÆ nominis ſplendorem, æternam divini Numinis gloriam, clariſſimæ ABREDONIÆ felicitatem, gentiumque peregrinarum utilitatem, & ædificationem. Olim Græciæ oculus Athenæ, Scotiæ hodie veſtra benignitate ABREDONIA; nuſquam enim ingeniorum felicior proventus, doctrinæ uberior ſeges, eruditiſſimos MARESCHALLANÆ ACADEMIÆ [illegible] mortesque manes, illuſtria Europæ lumina [illegible]. Nihil pia hac liberalitate DEO gratius, [illegible] ſæculi gloriosius. Semper erunt hæc veſtra gloria, [illegible] neminem, & ex qua, nulla quicquam ſibi decoris nobilitas, cuncti Medi, Reges & Cræſi caducis ac fluxis opibus, [illegible] qui auro fluxiſſe dicitur Pa-

Pactoli

soli anteponendus est. Pie vos munificentiæ palmam, toti prægnantis nobilitati, licet ad munificentiæ apicem pervenerit. Non enim par est quempiam, tantam auspicari liberalitatem, & ad eundem, alium respicientem, omnibus numeris perfectam illius virtutem imitari. Nec minus alia Tua dona, quibus raro Numinis favore ornatus splendes, quam avita munificentia, cunctis Te charum & gratum reddunt. Regiam scilicet, affinitatem nobilem, illustris familiæ antiquitatem, pie cumulatas opes, cæteraque externa bona, cunctis notissima, uberrimam fastorum, non epitholii materiam tacemus. Præclaras corporis, animiq; dotes loquimur. Apta adeo membrorum est proportio, grata coloris lenocinanti illis suavitate, decora corporis proceritas, læti & illustres oculi, grata oris dignitas, cui non minus autoritatis quam gratiæ ineſt, quæq; ideo perstringat simul & invitet aspectum: ea denique totius corporis lineamenta, ut Ideam artifex, solicita meditata videatur. Ex vultu vero, membrorumq; decore facile colligi potest, quantus te cœlestis spiritus intrarit habitator, quodque, divite virtutum humanarum, divinarumq; supellectile ornatus sit animus. Ingenium velox, peracris mens, singularis memoria, alta indoles, niveum pectus, magnæ olim fortunæ indices spiritus. Porro nullum non ornatus genus mereris, imo nobis vel ingratissimis extorquet jucundissima Tua, triennii in inclyta Tua nobiscum Academia conflictatio. Philosophiæ speculativæ, practicæ, Tua felicissime operata est nobilitas, quæ perpetuo motu, & jugi agitatione gaudens, ut iocosa vertigo Cœlum rotat, ut maria æstibus inquieta sunt, & ut ne Sol nescit, ita continuatis literarum bonarum studiis, honestisq; exercitiis, Tua origine dignis, sanitatis tuendæ corporisq; roborandi ergo, in se quodam urbe redeuntibus semper exercita est. Nullum arrogantiæ, indiscretæ felicium pedissequæ vestigium in Te apparuit, sed incredibilis in tanta altitudine humanitas, sinceri cultus & observantiæ conciliatrícula. Eximia Tua in præceptores observantia, gratitudo, licet Tuis impendiis viventes. Singularis in omnes comitas. Nullius incessus modestior, habitudo cohibitior, familiaris habitus condecentior, ideoq; cuncti Te studiosi, aliique, æqui divinarum Tuarum virtutum æstimatores admirati, certatim dilexerunt, oculis, animo, complexu tenuerunt. Non Tu pietatis (omnium virtutum animæ) larvam & inanem speciem præstitisti, sed expressissimum ejusdem exemplar, sine [illegible] sacras ut novissimam; summa cum corporis modestia, debita animi attentione exaudisti, cœlestis amoris pectori tuo face, divinis, diu nec frustra succrescente alimentis. Tu in corrupta nostra nobilitate, velut gemma, in hoc adolescentiæ lubrico vix cernebaris, adeo non cecidisti, Tua tenerioris ætatis navicula in turbido affectuum mari. Cha-

rybdim & Scyllam, omnesq; illatis & illisa praetervecta est scopulos, peritissimo ad clavum sedente nauclero, D. Magistro Roberto Martino, adolescente doctissimo, prudentissimo, pientissimo, magnae juventutis educandae artifice, qui ad formandum ingenium Tuum, divinitus Tibi datus, dulcissimo Te puerũ, pietatis & virtutis lacte, solidiore adultum esca nutrivit. O felicissimos Tuos Parentes, quibus largo benignissimi DEI munere obtigit haeres, generis sui decus & gloria, familiae columen, cognatorum flos, communis literatorum gaudium, fatalis Musarum amor, scientiarum quippe ac virtutũ Atlas futurus, quem ad magna natales, ad summa ingenium vocat. Felices nos quoque, quibus, tantis virtutibus splendentem nobilem, Patronum ascisscere libet & licet, cui cum nihil sit, quod tanta celsitudine dignum, tot nos arctissimis servitutis vinculis obstrictis offeramus, quod solum nostrae opis est, gratias agimus immortales, relaturi si possemus. Sed nec tua fortuna desiderat remunerandi vicem, nec nostra suggerit restituendi facultatem: privatorum ista copia est inter se esse munificos. Has interim soli Tui quasi fruges, Tuae deponimus in manu, non quod ex Tuo nos aere eximere videri velimus, cujus haud mediocri voluptate afficimur, sed quo aeternum nostrum obsequium testemur, coelitumque parentem, nobis gratificatum, Tuae nos nobilitati debitores constituendo profiteamur, à quo Tuae celsitudini hic pacem & prospera omnia, in Patriam hinc vocato (utinam sero) gloriam, summa votorum nuncupatione deposcimus.

Vestrae Nobilitati addictissimi,

ADAMVS	ANDERSONVS,
ALEXANDER	BRVNÆVS,
ALEXANDER	CHYNÆVS,
ALEXANDER	MAIRTINVS,
DVNCANVS	LIDDELVS,
IACOBVS	CHYNÆVS,
IACOBVS	DOVNÆVS,
IACOBVS	GORDONVS,
IACOBVS	GREIGÆVS,
IACOBVS	MVRCORVS,
IACO[illegible]	RAIVS,
IOANNES	ALEXANDER,
IOANNES	BLACKÆVS,
ROBERTVS	GRAIVS,
ROGERVS	PATTONVS.

THESES LOGICAE.

Theses I.

IN *Definitione generis explicatur, non natura realis, nec intentio secunda, nec quicquam ex utroque conflatum, sed illa, hæc vestita.*

II. *Essentialis, per genus superiùs tradita definitio, generi nequaquam repugnat: nec inde in infinitum progressus colligi potest.*

III. *De individuis genus, ut & species, rectè veréque enunciari potest: illud ut totum potentiale, hæc ut actuale.*

IV. *Genus, specierum subjectarum totum potentiale & universale rectè nominatur, cum eas in se non actu, sed potentia contineat.*

V. *Quælibet species, genus suum totum actu continet.*

VI. *Nulla generi individua, immediatè substernuntur, de quibus, nullo medio prædicari possit.*

VII. *Specierum, aliæ prædicabiles sunt tantùm, subjicibiles tantùm aliæ: utramque aliæ rationem subeunt.*

VIII. *Speciei ad genus relatæ universalitas, semper nobis chymærica visa est (utut species subjicibilis, ab omni conditione singulari abstrahatur) cum omne universale, multa inferiora respiciat.*

IX. *Tota generis perfectio propria & essentialis, in una specie, speciei, in uno individuo conservari potest.*

X. *Perfectio, quam generi addunt ſpecies, plurimæ ſpecierum conſortium, unà non ſufficiente, poſtulat.*

XI. *Species, in uno individuo, omni perfectione ſpecifica ornata reperitur: at varia variorum individuorum perfectio, non niſi in diverſis ſingularibus invenitur.*

XII. *A genere ad ſpeciem, affirmatè non arguimus: determinatum ex ſpecie individuum inferre nihil vetat.*

XIII. *Quæcunque de ſuperioribus dicuntur, de inferioribus prædicentur neceſſe eſt.*

XIV. *Univerſalium pluralitatem, nullo rationis momento ſultam propugnent alii, eorundem nos dualitatem, firmiſſimæ innixam baſi tuebimur.*

XV. *Omne genus, propriæ differentiæ, nobilitate impar eſt, cum quilibet actus, quam perficit & determinat potentiam, dignitate excedat.*

XVI. *Gradus generis & differentiæ, ſola ratione diſtincti, compoſitum reale, per compoſitionem realem, conſtituere nequeunt.*

XVII. *Differentiæ de ſua ſpecie prædicatio, univerſalis non eſt, cum omne univerſale, ad plura ordinem dicat: ſpeciem utpote communem multis, ad terminandam differentiæ univerſalitatem ad ipſam ſufficere, ineptum eſt deliramentum effugium.*

XVIII. *Accidentia cuncta propria, ſunt neceſſaria: non omnes tamen formæ accidentales, neceſſitatis vinculo cum ſubjecto cohærentes, ſunt propriæ, ut Grammatica, Muſica.*

XIX. *Accidentium propriorum alia, à ſubjecto ſeparari impoſſibile eſt, aliorum ſeparatio realis, repugnantiam non involvit.*

XX. *Ignis ad calorem ſuſcipiendum aptitudo, ſolis ad lucem propenſio, ſunt utrique non communia, ſed propria accidentia, illa igni, hæc ſoli.*

XXI. *Ab accidente, proprium rectè diſtinguit Porphyrius; quod hoc de ſpecie primo, eâque mediante de individuis dicatur, illud verò immediate de individuis, eorumq; beneficio de ſpecie prædicetur.*

XXII. *Nulla eſt proprii ad ſpeciem relati univerſalitas.*

XXIII. *Porphyriana accidentis communis definitio, nondum*

ſatis

ſatis intellecta, Philoſophos jamdiu exercuit, aliis abſtractionem mentalem ſimplicem, aliis compoſitam intelligentibus: nec mirum, caſtiſſimam & intemeratam hanc virginem veritatem, illis procis, pulcherrimam ipſius faciem, craſſiſſimo errorum cœno deturpantibus, moroſam ſeſe & velatam exhibere, quæ tamen nobis, pacis & veritatis amantiſſimis, ſe amplectendam velo à moto conſpiciendam præbuit, de cujus gremio, hunc definitionis ſenſum hauſimus: accidens commune ſuo inhæſionis ſubjecto adeſſe, & abeſſe realiter, & naturaliter poteſt, citra omnem non Metaphyſicum modo & eſſentialem, ſed & Phyſicum, & exiſtentiæ interitum.

XXIV. DEVM Ter Opt. Max. à ſubſtantiæ prædicamento excludit infinita ejuſdem perfectio, cui omnis generis & differentiæ conceptus repugnat.

XXV. Eadem ejuſdem, nullis limitibus circumſcripta perfectio, ad ſubſtantiæ Categoriam DEVM reducentium errorem, clariſſime redarguit.

XXVI. Intelligentiæ, utut actus puri, omniſque corruptionis expertes, in eodem cum corruptibilibus prædicamento collocandæ ſunt: Cum, æque, ſupremum genus de illis & hiſce, ratione prædicetur.

xxvij. *Idem de corporibus cœleſtibus, ex genere quippe & differentia conflatis, judicium eſto.*

xxviij. *Subſtantiæ in primam & ſecundam partitio, generis in ſpecies nõ eſt, altero diviſionis membro omne genus exhauriente, nec analogi in ſua analogata, ut recentioribus haud paucis placet. cũ de ſuis diviſum membris, una eademque ratione prædicetur, ſed eſt ſubjecti in accidentia realia diviſio.*

xxix. *Omnis ſubſtantia, infinita, finita, completa, incompleta, ſubjecti fulcientis opem reſpuit.*

xxx. *Subſtantia ſubſtantiæ contraria non eſt, quamvis ſe ab eodem viciſſim expellant.*

xxxj. *Veterum Philoſophorum, opinionem quampiam ſtabilientium authoritas (cui plurimum nos tribuendum cenſemus) quominùs contraria ſententia vera, fidem inveniat, obeſſe nequit: omnem idcirco qualitatis intenſionem, & remiſſionem, ut inane ſubtiliter*

nimis Philoſophantium commentum, nulli rationis fulcro innixum, ex ſaniore Philoſophia explodi cupimus, donec topico ſaltem id argumento quodam (quod ad Græcas Kalendas fiet) confirmetur.

xxxij. Gradualem ſubſtantiæ intenſionem & remiſſionem, qualem qualitatibus, Philoſophorum vulgus tribuit, Doctorum quorundam aures ferre nequeunt, quam tamen nos doctrinam (rationem autoritate potiorem ducentes) Philoſophiæ utpote puriori, in recta ratione fundatæ congruam (apage inane ſubſtantiæ completæ, incompletæ, Categoricæ, & non Categoricæ effugium) propugnaturi amplectimur, ſententiam, ratione ſuperati mutaturi.

xxxiij. Suar. Rav. aliique, rerum abſolutarum complementum (haud alias indocti) eſſentiale, relationes cenſent v. g. accidentis, potentiæ, habitus, materiæ, ad ſubjectum, objectum, formam, quorum fundamentum cum apud nos parum autoritas minus valeat, omnem relationem (apage tranſcendentalis & Categoricæ diſtinctionem) abſolutis accidentalem aſſerimus.

xxxiv. Abſtracta ſubſtantiarum ſuperiora, de inferioribus rectè enunciari nequeunt: abſtracti de abſtracto in accidentibus prædicatio, Dialecticæ amuſſi non repugnat.

xxxv. Vnus potentiarum cognoſcitivarum intellectus, entia rationis formare poteſt; ſuam idcirco hircocervus, chymæra, aliaque phantaſiæ in ſomnis, morbiſve apparentia monſtra, realitatem obtinent.

xxxvj. Cuncta intellectui divino clariſſime patent, nec ullæ, illi tenebræ offundi poſſunt; rationis tamen entia, citra omnem imperfectionem formare non poſſe DEVM, hinc minimè colligi poteſt, cum ſuam Ens rationis exiſtentiam objectivam, à divino intellectu cognitum ſortiatur.

xxxvij. Sexta ſubſtantiæ proprietas, nimirum quod eadem numero manens, ſit contrariorum ſuſceptiva, omni, ſoli ſemper ſubſtantiæ finitæ, completæ, incompletæ, primæ, ſecundæ convenit.

xxxviij. Propriam quantitatis eſſentiam Suarez, in ejuſdem extenſione impenetrabili collocat, præter quam, extenſionem aliam entitativam comminiſcitur ſubſtantiæ, omni quantitate deſtitutæ v. g. materiæ, quæ tota toti loco, partique pars reſpondeat: quam nos

extenſio-

extenſionem entitativam, ſubtile inanis ejuſdem cerebri commentum judicamus, cum, ſola extenſionem omnem quantitas tribuat.

XXXIX. *Relationem à fundamento, ex natura rei diſtinguentium opinio, fundamento caret: non enim ſimilitudo Ariſtotelis, aliud eſt ab ipſa ejuſdem albedine, ſed eadem, Platonis albedinem ut terminum reſpiciens.*

XL. *Celebris, Thomæ cum Scoto controverſia eſt, eadem ne numero relatio, ad diverſos numero terminos terminetur. Divi (hominis hic infirmi) Thomæ affirmantis caſtra, ſuccumbentis quippe, (Athletæ alias inſignis) deſerentes, Scoti victoris vexillum ſequimur.*

XLI. *Eſt actio res, effectui ſuperaddita, non autem ipſe effectus ut ab agente, hoc eſt, quatenus virtute agentis exiſtit, in quo, præter relationem, nulla alia res modusve involvatur.*

XLII. *Propoſitionum de futuris contingentibus veritas eſt determinata.*

XLIII. *Futura hypothetica, ſeu conditionata libera, pari paſſu cum abſolutis futuris, quoad veritatis & falſitatis determinationem incedunt.*

XLIV. *Scientia media, ſeu futurorum hypotheticorum præcognitio, actuum libertatem non minuit, nec quicquam incommodi invehit; qua tamē ſublata, aut falli omniſcientiē, aut varios verè liberos actus neceſſario (non ex Divinæ voluntatis hypotheſi tantum, ſed & cauſæ proximæ executivæ ratione) productum iri, concedendum fuerit.*

XLV. *Hæc futura præcognoſcit DEVS, certo, infallibiliter, evidenter, non decreti alicujus aut prædeterminationis Phyſicæ virtute, nec in ipſorum cauſa proxima, & immediata; ſed ipſos effectus (ſuo quemque tempore) futuros intuendo.*

XLVj. *Enunciationes de futuris contingentibus conditionatis, illativæ non ſunt, cum, ſua effectum cauſa, liberè producat.*

XLVij. *Quælibet intellectus cognitio, potentiæ ad opus efficiendum directiva, actus eſt Practicus, ſitne opus liberum, an neceſſarium, errori obnoxium, an extra omnem defectus aleam poſitum, poſſibile tantum, an futurum nihil intereſt.*

XLVIII. *Haud minùs clando, quam illæſo, ad numeros ſaltandi inest cognitio Practica.*

XLIX. *Actus, natura ſua Practicus, nequit eſſe ſpeculativus, nec hic Practicus, ob perpetuam objectorum repugnantiam.*

L. *Concluſionem continet in ſe Syllogiſmus, non ut effectum, ſed partem intimè eidem incluſam.*

LI. *Verum vero non repugnat, ideoque in Philoſophia concluſio vera, rationique conſentanea, in Theologia, falſa & fidei contraria eſſe nequit.*

LII. *Neotericorum quorundam ex altera propoſitione contingente demonſtrationem, ut Ariſtoteli ac puriori Dialecticæ contrariam, graviore ortodoxorum cenſura dignam cenſemus.*

LIII. *Ex nulla demonſtratione, effectus cauſa innoteſcere poteſt, quin ſimul effectus ipſe, ejuſdemque exiſtentia, ex eadem cognoſcatur.*

LIV. *Ex principio cognita concluſio, ſuum demonſtrat principium: ex effectu innoteſcens cauſa, ſuum notificat effectum, citra ullum in vera Philoſophia errorem, quæ idcirco mutua demonſtrandi ratio, ut à veritate aliena, repudianda non eſt.*

THESES PHYSICÆ.

Thesis I.

Subſtantia finita, in paſſum à ſe realiter diſtinctum, immediatè, nullius agentis actione media, effectivè influere poteſt.

2 *Nullus motus naturalis velocior eſt in fine quam in principio.*

3 *Cœlum empyreum eſt primum mobile.*

4 *Tempus & mundus eodē inſtante cœpere.*

5 *Duratio mundo coæva fuit, ſine qua omnis entis productio impoſſibilis eſt.*

Tempus

6 *Tempus diſcretum, nulla mundi pars vel uno durationis inſtante anteceſſit.*

7 *Succeſſivum & continuum tempus, motus nimirum durationis, eodem quo mundus inſtante incepit: motumne fuerit an quieverit a mundi primordio Cœlum, aliudve corpus, parum refert.*

8 *Senis, alii febricitantes, ſomniantes alii, duodenis horis, tenebras lucem anteceſſiſſe ferunt, cum, nulla tenebræ hora, illa priores fuerint, perfecta quippe ſolis luce, tenebris coæva, in primo conditi mundi inſtante producta.*

9 *Clariſſima luce, primo die, non in ſole, nube ſed alio corpore caduco, uniformiter difformiter producta, priores tenebræ, non ſubito ſed ſenſim, interpoſita morula evanuere.*

10 *Aquas elementares, orbi lunari Cœloque Æthereo eminere, inficias complures eunt, non tam rationis momento ducti, quam cataractarum ſolutionem (ut nobis videtur) veriti: quo inani neglecto metu, ſuum illis illic domicilium, ab omnipotente rerum parente fixum credimus. Contrario, vero patrum torrenti, cœleſtibus aquæ noſtræ ripis exitium minanti, firmiſſima clauſtra, contrariam aliorum patrum ſententiam, inſuperabilemque ſacræ autoritatis obicem opponimus.*

11 *Sol, Luna, cæterique planetæ, quarto producta die dicuntur, non ſubſtantiali, materiæ, & formæ, ex nihilo creatione, nec formæ de materiæ potentia eductione, nec harum Cœli partium rarefactione, aliarum condenſatione, nec ob qualitatis cujuſdam intrinſecæ & perficientis acceſſum, ſed ob ſolum formæ accidentalis extrinſecæ appulſum.*

12 *Sol, quarto primum die in orbem cieri cæpit: an quod tardior iſtius orbis intelligentia motrix, an futuram laborioſi operis laſſitudinem verita, an quod prior motus ſuperfluus fuiſſet (quæ nobis ratio unicè arridet) doctioribus indagandum reliquimus.*

13 *Diei noctiſq; diſcrimen, a Sole, quarto demum die factum recte dicitur.*

14 *Non omnes rerum ſpecies, ab optimo rerum parente DEO, ſex dierum ſpacio creatæ fuere, aliis ex putri materia, aliis per adulterinam quaſi maris & fœminæ generationem poſtea productis.*

15 Omnes ex aqua aves, non aëre velocem ortum ſunt.

16 Cœli, ab omni corruptione naturaliter remoti, in ultimo conflagrationis die, non accidentalis tantùm innovatio exſpectanda, ſed ſubſtantialis, novæ in materiam formæ ſubſtantialis, per generationem introductæ.

17 Non Philoſophicè hic cæteribus ægroti, Theologia ritum attingimus, nec ſatores ultra crepidam, ni prudentiſſimorum Philoſophorum exemplo fortè decepti.

18 Multorum, inanimato, animatum producendi virtutem principalem derogantium ſententia, ſale ne fatuæ condienda eſt. pulcherrimis in nitro Philoſophico bortis floribus, plantiſque, a Solis cauſa principali, hoc anno genitis.

19 Multa multi de accretione ſubtiliter (ut ipſis videtur) diſceptanter, ex introſumpto alimento, inque viventis, nondum ſuſtam quantitatem adepti ſubſtantiam, caloris naturalis virtute converſo, augeri vivens autumant accretione tamen (niſi recta vox ratio deſerit) prorſus impoſſibili. Spinoſas ideireo de hac chymæra queſtiunculas, quibus hominum ingenia lacerentur, deſinant decerpere noſtri Philoſophi.

20 Plurimos vobis Philoſophos, ſpinoſa de mixtione queſtione, haud parum torquent, quarum nos ſpinas, hac diſtinctionis falce præcidimus: mixtio ſubſtantialis duplex eſt, realis, & chymæra, in ſola, illa, Utopia, hæc poſſim reperitur.

21 Nullam accidens, ſubſtantiæ productionem, virtute propria nec ſubſtantiæ principalis agentis attingere poteſt.

22 Peripateticam de multis rebus naturalibus ſententiam, ipſiſſimam licet veritatem, temerario cuti judicio, fabulam ducunt, ipſique Philoſophi, igni ſummum, aeri mediocrem calorem, extremum aquæ frigus, terræ temperatum aſſignanti, malignum infigere dentem gaudent.

23 Mirari utique libet quorundam doctiorum ingenium, qui maximam elementorum tranſmutationem, in dubium vocent (Philoſophica quæque in ἐποχὴν deſinere rati) ſoleant, firmiſſima iure ratione innixam.

24 Pleroſq; Philoſophos, Platonicos evaſiſſe dixeris, numeris impenſe

Jo. Sclater Mercis Philosophiæ
in Acad. Marischallana
Aberd. 1637.

Aberdonia 1637